



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

54. Quid sit ministrare Christo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

cui in proprium possit donari. Illæ verò quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad aliud monasterium, quod sub ejus munitur, consistit, surrogari possint.

Quid sit ministrare Christo.

LIV. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* S. August. tract. 51. in Ioann.

Quo fructu, qua mercede, quo præmio? *Et ubi sum, inquit, illic & minister meus erit.*

Gratis ametur, ut operis quo ministratur illi præmium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando malè esse poterit cum illo?

Audi evidentiùs. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.* Quo honore, nisi ut sit cum filio ejus? Quid enim superiùs ait?

Ubi ego sum, illic & minister meus erit.

Hoc intellegitur exposuisse cùm dicit: *Honorificabit eum pater meus.* Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus quàm ut sit ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati? Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta promittitur, hoc potiùs debemus inquirere.

Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere vel adponere, vel poculum dare, potùmque miscere, fecerunt hoc illi qui potuerunt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha & Maria, quando & Lazarus unus erat ex recumbentibus. Sed eo modo Christo etiam Judas perditus ministravit. Nam & loculos habebat ipse. Et quamvis ex eis quæ mittebantur sceleratissimè furaretur, per illum tamen etiam neces-

faria parabantur. Hinc est illud quòd cum ei diceret Dominus *Quod facis fac velociter*, arbitrati sunt quidam quòd eum jussisset propter diem festum necessaria præparare vel indigentibus aliquid dare. Nullo modo igitur de hujuscemodi ministris diceret Dominus, *Vbi ego sum, ibi erit & minister meus; Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus*, quoniam Judam talia ministrantem reprobatum potiùs quàm honoratum videmus. Ut quid ergo alibi quærimus quid sit ministrare Christo, & non potiùs in istis ipsis verbis agnoscimus? Cùm enim dixit, *Si quis mihi ministrat me sequatur*, hoc intellegi voluit, ac si diceret: Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Jesu Christo qui non sua querunt, sed quæ Jesu Christi. Hoc est enim, *me sequantur*. Vias ambulant, non suas. Sicut alibi scriptum est: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare*. Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia, nesciente sinistra quid faciat dextera, id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere caritatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat; rectèque illi dicitur: *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Nec ea tantùm quæ ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia opera bona propter Christum faciens. Tunc enim erunt bona; quoniam finis legis Christus ad justitiam omni * credenti minister est usque ad illud opus magnæ caritatis, quod est animam suam pro fratribus * ponere, quia & hoc sua membra dicturus est: Cùm pro istis, pro me

* Apud Augustinum:
omni credenti.
Minister est Christi usque ad

* Apud Au-

fecisti. De tali quippe opere etiam se ministrum facere & appellare dignatus est ubi ait: *Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare & animam suam ponere pro multis.* Hinc ergo est unusquisque minister Christi unde est minister & Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit pater ejus honore illo magno, ut sit cum filio ejus, nec unquam deficiat felicitas ejus. Cum ergo audistis, fratres, Dominum dicentem, *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*, nolite tantummodo bonos Episcopos & Clericos cogitare. Etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, bene vivendo, ac eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando; ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine cognoscat paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo & pro vita æterna suos omnes moneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benivolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua ecclesiasticum & quodam modo episcopale implet officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministratiorem multi ex vestro numero ministrant, multi Episcopi, Clerici, juvenes & virgines, senes cum junioribus. Multi conjugati & conjugatæ, multi patres matrèsque familias, ministrantes Christo, etiam animas suas in ejus martyrio posuerunt, & honorificante patre coronas gloriosissimas receperunt.

gustinum:
ponere. Hoc
est enim &
pro Christo
ponere, quia
& h. propter
sua m.

